





246

DE OBLIGATIONE
PLENIPOTENTIARIII
 ERGA PRINCIPEM ET REMPUBLICAM

28

Son der Pflicht
 Die ein Bevollmächtigter gegen seinen Fürsten
 und das gemeine Wesen beobachten
 muß.

1740, 23

CONSENSV
 AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
 ACADEMIAE IENENSIS
 PRO FACVLTA TE PHILOSOPHIAM
 DOCENDI
 A. O. R. MDCCXXX. D. V. MAII
 DISPVTAVIT

5.

PRAESES
IOANNES ERNESTVS SCHVBERT

PHILOSOPHIAE MAGISTER ET ORDINIS PHILOSOPHICI IN ACADE-
 MIA VITENBERGENSI ASSessor ORDINARIVS
 RESPONDENTE

IOANNE IACOBO AYCK
 BVTOVIA - BORVSSO
 PHIL. ET LL. CVLTOR.



IENAE LITTERIS SCHILLIANIS.



INSTITUTIONE
DE
RE
PUBLICA
CIVILIS
ET
MUNICIPALIS

DE
RE
PUBLICA
CIVILIS
ET
MUNICIPALIS

DE
RE
PUBLICA
CIVILIS
ET
MUNICIPALIS

DE
RE
PUBLICA
CIVILIS
ET
MUNICIPALIS



Pr
fu
Et
ca
po
ve
et
no
fr
Et
no
ex
lig
er
di

I
na





L. S.



VT, quid nobis pertractandum sumpserimus, statim in limine dissertationis appareat, te scire volumus, nos non omnia ista officia determinasse, quae plenipotentiaris fungi debet, dum in aula Principis exoterici aut loco tertio persona Principis sui indutus haeret, sed saltem ostendisse, *quando consecris negotiis omnibus, rebusque haud feliciter gestis, in ius vocari quando ad reddendam expeditionis suae rationem adstringi possit, quando absolui et quando condemnari debeat, uno verbo, quando Principi ab eo satisfactionem damni exigere liceat, et quando id nullo iure fieri possit.* Cur hoc obligationis nomine complexi sumus, sequentia te docebunt. Distribuimus autem meditationes nostras per tres Sectiones, quarum prima, quoniam ex Plenipotentiaris notione fere omnia demonstrauimus, illam distincte explicat, secunda vero ostendit, in quonam eius obligatio consistat, et denique tertia criteria quaedam enumerat, unde, num officio suo satisfecerit, nec ne, diiudicari debet.

SECTIO PRIMA
DE NOTIONE PLENIPOTENTIARII

§. 1.

Legatus est persona, quae a persona in statu naturali existente mittitur, ut eius nomine cum alia in statu naturali existente persona negotia quaedam conficiat.

*Legatus,
quid?*

A 2

Leg.

Legati definitionem ideo praemisimus, quoniam aut Plenipotentarius simul legatus est, aut nos de eo, qui talis simul est, tantum dicturi sumus: Nam si belli ducibus plena agendi potestas conceditur, illis simul cum hoste conferendi, arma componendi, et negotium pacis conficiendi copia facta est a principe, cuius causam agunt, et hinc quoque instructi sunt ad legationem. Talis plenipotentarius duplicem personam nempe militis et legati simul sustinet, sed expeditiones militares ad eum qua belli ducem, non vero qua plenipotentiarium, pertinent. Si quis vero et copiarum praefectum, cui bellum libere et pro arbitrio gerendi ius permissum est, eatenus plenipotentiarium appellare velit, ille sciat licet, nos nequaquam eius ut militis et ducis belli obligationem, sed eam duntaxat delineaturos esse, quam sibi iniunctam habet, quando cum hoste de restituenda pace, cuius medium bellum oportet esse, convenire debet, et hinc legati vices sustinet. Quoniam vero et alius minister plenipotentarii munere fungi solet, qui citra controversiam simul legatus est, oppido patet, legati definitionem praemitti oportuisse.

Ipsam vero definitionem quod attinet, licet nihil novi contineat, tamen generalioribus, quam vulgo fieri solet, terminis concepta est, idque eo fine, ne nos ea ferrent tela, quae alias adversus hanc legati definitionem vibrata sunt. Quod autem et alii scriptoribus in hoc genere versatissimis idem conceptus haereat, facile ex definitionum collatione apparebit. Sane, Vir summus, IOANNES GEORGIVS WALCH, cuius merita in hanc Philosophiae partem omnino magna sunt, subiunctis postmodum aliorum definitionibus cum nostra plane consentientibus, in *Lex. Phil. P. I.* p. 1198. *Legatus*, inquit, *est ea persona, quae ab una Rep. ad alteram ad publica cum eadem negotia in emolumentum suae Reip. conficienda mittitur.* Sic quoque sentit ILL. GLAFEX, qui prae caeteris de adaequata legati definitione sollicitus fuit. Namque in *Iur. Nat. L. VI. c. 3. §. 1. p. 237.* *legatum personam vocat moralem ab una vel pluribus independentibus Reip. ad certa negotia cum aliis nomine principis sui conficienda missam.* Plura cumulari possent testimonia; sed quoniam nobis non auctoritate pugnandum est, eorum allegatione superfedemus. Id tamen, velim, memineries, quod, quia autores animi sensa non iisdem terminis omnes expresserunt, id varias rixas magnam partem otiosas excitauerunt. Quibus itaque ne et nos implicemur, generalius loqui et omnia vberiori declaratione illustrare placuit.

§. 2.

Quando legatum *personam* diximus, intelligenda *Legatus est est moralis*, quae aut vnum indiuiduum aut plura de-*persona.* notat, quibus tamen idem negotium coniunctis viribus expediendum committitur.

Scilicet per saepe accidit, vt princeps duas mittat personas, iuribus et officiis pares, licet de dignitatis vtriusque differentia aliquando disputatum sit. Hanc enim in controuersiam venisse, cum anno 1679. ad pacem nouiomagensem confluerent principum legati, notum est inter plerosque. Experientia vero, quae plures vna difficilius decipi, et in grauioribus negotiis vnum facilius errare, morem hanc mittendi plures suasit principibus. Sed quoniam illis vnum et idem negotium coniunctis viribus expediendum committitur, neque vni licet agere absque consensu alterius, vterque vnum legatum constituit. Itaque ne haec consuetudo aduersus hanc definitionem, in qua vnus saltem personae mentio facta erat, vrgeri posset, monuimus, personam h. l. non ad vnum indiuiduum necessario restringendum esse, sed etiam de pluribus, modo moraliter vnum sint, accipi posse.

§. 3.

Hoc fere significatu et *persona, a qua mittitur le- Persona, a gatus*, sumi debet. Namque ea et vnum indiuiduum *qua mit- et totum corpus esse potest.* *titur lega- tus.*

Neque hoc monitum sua vtilitate caret. Cum enim notum sit, eundem legatum plurium principum nomine haud raro in locum tertium mitti, ea definitio, qua legatus ab vno principe procedere affirmatur, nonnullis visa est iusto angustior. Quandoquidem iuxta hanc ille dici non posset legatus, qui missus est a pluribus. Enim vero quando persona, a qua mitti dicitur legatus, sensu morali accipitur, neque adeo ad vnum indiuiduum necessario restringi debet, sed etiam plura completi potest, ea nos non ferunt, quae aduersus *Rüdigerum* monuit vir quidam celeberrimus. Namque si negotium, quod legatus a pluribus missus tractat, omnibus istis commune est, quod accidit, quando v. c. ordines imperii germanici protestantes ob grauamina Religionis vnum legatum ad Imperatorem mittunt, aut plures principes foedere iuncti cum hoste per vnicam personam de reparanda pace agunt; tum arctissimum illud

illud vinculum, quo Respublicae vniuntur, et commune negotium, quod eidem personae commiserunt, non quidem vnam Respublicam, tamen vnum corpus, vnum systema, vnam personam moralem efficiunt. Sin vero plures principes eodem in diuersis negotiis ministro vtuntur, quod in Comitibus Imp. Germ. haud raro euenit, tum quidem ob differentiam finium hic non licet vnam personam fingere, ipse tamen legatus tot personas repraesentat, quot principum negotia in mandatis habet. Itaque hoc casu, quoniam ille modo vt huius modo vt alterius principis legatus consideratur, ab vna persona et quidem sensu proprio missus est.

§. 4.

Status naturalis, quid?

Iste vero *in statu naturali* existit, qui neminem in his terris se superiorem agnoscit. Atque hunc principem dicemus in sequenti tractatione.

Hoc §pho eos exhibebimus, quibus ius mittendi legatos competit. *Id enim vni omni ita et soli principi adserimus*, simul tamen, quo sensu princeps accipi debeat, subindicamus. Scilicet quoniam haec vox, neglecta propria eius significatione, pro vnica persona, quae summum ius in aliqua ciuitate exercet, fumi plerumque solet, factum est, vt nonnulli ius illud ad solum principem restringendum non esse iudicarent. Neque ego dubito, quin, si tam arctis limitibus vox ista, *Princeps*, coerceatur, vt, qui iuxta modernam consuetudinem Imperatoris, Regis, Ducis titulo distinguuntur, vnice denotet, hoc iure suos mittendi legatos is non solus gaudeat. Nos vero, amplificato huius vocis significato, praeter principem ius istud nemini concedendum esse, recte docemus. *Hunc enim principem dicimus, qui in statu naturali existit, et eorum status pro naturali habetur, qui inter mortales neminem se superiorem nullumque actionum suarum iudicem agnoscunt.* Equidem et hi, qui in naturali statu viuunt, de aliquo iudice in quibusdam negotiis conuenire potuerunt, praeter haec tamen negotia summa cum eodem aequalitate gaudent, et sicuti illum coram nullo iudicio actionum suarum rationem reddere oportet, ita et hi ea necessitate non constringuntur.

Ergo primum in naturali statu viuunt *Imperatores, Reges et aliae Respublicae liberae*, quae suas controuersias aut amice aut armis componunt, nullius se committentes iudicio. *Secundo*

cundo huc pertinent Ordines Imp. Germ. *Electores, Duces, Principes, Comites et equites immediati*, nec non *liberae ciuitates*. Nam quemadmodum Imperii status omni tempore independentes principes fuere, neque vnquam Vasalli extiterunt, vt illi perhibent, qui Imp. Germ. Monarchiae Romanae continuationem esse tradunt; ita et nullum factum produci potest, vnde, quod suae libertati nuncium vnquam miserint, probari possit. Equidem ne foedus, quo sibi inuicem iuncti sunt Imperii ordines, et quo vniuersae Germaniae ciuitatum systema continetur, vnquam rumpatur, illi, si qua inter ipsos orta est controuersia, hanc decidendam Augustissimi Imperatoris iudicio committunt; tamen eandem potestatem in suis diuisionibus exercent, qua Imperator in suis gaudet. Quamuis itaque Principatus aut Superioritas Germaniae ordinum aliquo modo limitata est, hi tamen limites ipsam essentiam et hinc iura cum superioritate connexa neutiquam tollunt. Praeter hos, qui superioritate gaudent, siue haec absoluta sit, siue suis circumscripta limitibus, quin et quandoque certo respectu subordinata, et alii in naturali statu viuunt, quamuis regno et imperio prorsus careant. Accidit haud raro, vt personae, ciuitatis vere membra, in hunc statum loco et tempore transponantur, quibus mutatis ille statim desinit; sed de his nunc non loquimur. Namque hi cum habeant, cuius sub praesidio et imperio viuunt, et circumstantiae, quibus impediuntur, quo minus auxilium superioris implorare possint, et hinc in statum naturalem transponuntur, subito transeant, tales non sunt, quae naturali statui ius legationis impertiantur. Itaque hos saltem innuimus, qui nullibi sui superiorem habent.

Quibus praemissis nunc strictim recensebimus, quae vi praecedentium ius legationem instruendi competit.

I. Imperatores, Reges, liberaeque Resp. vt sunt Barauorum, Heluetorum, Venetorum, etc. quin hoc vti possint iure, dubio caret.

II. Idem ius competit Imp. Germ. ordinibus, vt adeo et liberarum ciuitatum imperialium nunciis, qui ad Tractatus pacis Westphalicae et noniomagenis missi erant, legatorum nomine et iuribus fruerebantur. Vid. LONDORPII *Act. publ. T. II. l. 3. c. 43. p. 108.*

III. Neque Principibus, qui regno aut pulsi sunt, aut se vltro abdicarunt, ius illud denegari potest. Qui enim aut in-
testino

testino bello aut externo hoste coacti aut denique proprio motu regnum cesserunt aliis, ideo non facti sunt successoris aut alterius principis subditi, quocumque se terrarum receperint. Ius imperium in alterum exercendi a pacto et hinc mutuo consensu pendet. Quamdiu itaque eiusmodi principis declaratio, se in numerum civium alterius recipi velle, deest, nemo sibi imperium in eundem arrogare poterit. Et si forte princeps principem imperio destitutum, qui in sua ditione commoratur, sibi subiceret, factum hoc manifestum iniustitiae documentum foret, nullaque sub specie eius superioritas in dubium vocari potest. Cum autem ius legatos mittendi cum superioritate arctissime connexum sit, hoc ius eiusmodi principi utique concedendum erit. Hinc et omni tempore ius illud Gentes eiusmodi Principibus concesserunt, quod exemplo CAROLI V. Imperatoris, CHRISTINAE, Reginae Sueciae, IACOBI, Regis Britanniae, FRIDERICI, Regis Bohemiae, aliorumque probari possit. Rationes politicas, quae horum Principum Legatorum receptionem suadent, exponit GLAFEY in *I. N. L.* l. c. 3. §. 154. p. 72.

IV. Porro regni electivi Proceres, defuncto Rege, mittere Legatos possunt. Cum enim hoc casu ille ulterius superstes non sit, quem solum iudicem et superiorem suum agnouerant, et ab illorum arbitrio pendeat, quem posthac suum caput esse velint, uniuersus populus in statum naturalem adferitur. Hinc dubium non est, quin tempore Interregni *Primas Regni Poloniae* nomine totius populi possit Legatos mittere.

V. Denique et Populus tyrannidis Principis sui omnium legum fundamentalium vel capitulationum contemptoris pertaeus hoc iure gaudet. Quandoquidem et ius Principis et subditorum obsequium pacto quodam nititur, cuius conditiones sunt leges fundamentales. Quodsi ergo Princeps ab hisce pacti conditionibus recedit, pactum hoc ipso facto soluitur, nec ulterius causa est obsequii, quod alias subditi Principi suo debent. Hinc populus, suo orbatus capite, ex civili in naturalem statum relapsus haec iura exercet, quae antea erant Principis. Equidem ius illud Rebellibus neququam largimur, sed neque Rebelles esse iudicamus, qui ob tyrannidem legumque fundamentalium violationem a Principe suo deficiunt. Tales enim si essent, Bohemi protestantes contra priuilegia sibi concessa ob Religionem persecutionem passi, cum Fridericum

cum Regem sibi postulerent, rebelles dici oporteret, et Helvetorum libertas adhucdum continuata foret Rebellio.

Quas nunc recensuimus personas, ideo hoc iure gaudent, quoniam superioritate fruuntur, et eatenus illis aequales sunt, quibus cum sua per Legatos tractant negotia. Sed nunc quaeri possit, *cur ob superioritatem et independentiam alicui ius illud adferatur?* Equidem id notum est, quod, qui in naturali statu viuunt, iisdem et aequalibus iuribus gaudeant; sed haec alia est quaestio, *num ad haec eadem, aequalia, omnibusque communia iura et ius legationis pertineat, nec ne?* Quando principia Iur. Nat. absoluti contemplantur, abstrahentes a iure hypothetico, fatendum est, legatorum receptionem officium humanitatis esse, neque vlli naturam ius perfectum mittendi concessisse, neque vlli obligationem perfectam recipiendi legatos imposuisse. Quemadmodum vero cuiusuis hominis indigentia mutuum auxiliura exigit, quo sine humano generi necessario pereundum foret; sic et integrae gentes intellexerunt, suam cuiusque fortunam stabilem haud fore, nisi cum aliis socialitatem excolerent. Hinc sana ratione edocti, multa incommoda communicatione cum aliis euitari posse, de Legatorum missione, quotiescunque opus fuerit, conuenerunt. Egregie hanc in rem CAESARINVS FÜRSTENERIVS *de iure suprematus* p. 25. inquit: *Ratio naturalis iubet, vt libera sit communicandi facultas, alioqui, sublata hac fiducia, remedia non poterunt afferri gliscentibus malis, animisque exulceratis.* Quod itaque antea iuris imperfecti erat, intercedente pacto, factum est iuris perfecti. Et si gentes de usu huius iuris nunquam pactae fuissent, nemo tamen, nisi grauius quid obstat, sine aperta laesione, hodierno die alterius legatos recipere possit. Cum enim quaelibet gens hoc sibi ius competere credat, eodemque utatur, ea, quae alterius legatos recipere nollet, plus sibi reliquis itidem in statu naturali existentibus tribueret, sibi que iura arrogaret, quae aliis sibi aequalibus denegat. Hinc aequalitatis huius violatio non potest non esse laesio.

§. 5.

Negotia, quorum causa mittitur Legatus, aut so-
lam personam mittentem, aut eos simul concernunt, *publica*,
quorum ille vices sustinet. Vtraque breuitatis ergo *quid?*
dicamus *publica*,

B

Id

Id nos facile a lectoribus nostris impetraturos esse confidimus, vt negotia, ad quae Legatus instruitur, *publica* dixisse nobis liceat. Nouimus, publica negotia aliis scriptoribus ea esse, quae ad vniuersum populum spectant, vt sunt Bellum, Pax, Foedera, Negotiationes, reliqua. Hinc factum est, vt quidam *non sola* negotia *publica* esse existimarent, quorum causa Legatus mitti soleat. Quando autem et ea negotia, quae solum Principem eiusque Familiam concernunt, publica dicuntur, dubium non est, quin ea vnice sint legationis causa. Sunt certe denominationes arbitrariae, et cuius iure gaudet, illarum significatus determinandi. Id modo caueat, ne ab vsu loquendi absque necessitate recedat. Atque id a nobis factum non esse, arbitramur. Nullum Principis negotium, quod aliam gentem contingit, illi adeo priuatum est, vt in totius Reip. statum plane non influat. Quando amicitiae vinculum inter Principes et illorum familias aut arctius constringitur, aut relaxatur rumpiturque penitus, certe huius et commoda et incommoda ciues experiuntur. Congratulationibus et doloris contestationibus Principum animi integritatem gentium saepe sibi deuinciuntur, et nuptiis liberorum principum cruenta bella aut haecenus gesta finiri, aut ab exortis controuersis metuenda impediri, nemo non nouit. Quae negotia, licet publicorum numero eximantur, quippe ad solum Principem eiusque Familiam pertinentia, vel eam ob causam publica dici vtique merentur, quod pacem, salutem, tranquillitatem totius Reip. mirifice promouent et conseruant. Fac vero huius generis negotia cum statu Reip. euidenter non esse connexa, tamen, quoniam Princeps vniuersum populum repraesentat, eius felicitas totius ciuitatis, et hinc publica, est felicitas. Hanc enim felicitatem Principis, quae saluti Reip. est contraria, veram esse felicitatem, vehementer dubito, cum ciuitatis ruinae Principem felicem praestare non possint. Ergo concedamus licet, Legatum saepe mitti ob rationes a Rep. immediate non desumptas, tamen functiones eius quin circa publica negotia occupatae sint, nulli dubitamus.

§. 6.

Qui per
Legatum
agant?

Cum haec vero negotia Legatus a persona in naturali statu constituta cum eiusdem conditionis persona conficiat, (§. 1.) sequitur inde, *non nisi Principem cum Principe agere per Legatos.* (§. 4.)

Quan-

Quando itaque aut Princeps ad ciues ministrum cum aliqua instructione, aut ciues ad Principem deputatum mittunt, neuter horum Legati dignitate resplendescit.

§. 7.

Cacterum non opus est, vt Legatus in aula alterius Principis compareat. Potest enim vterque Princeps locum tertium eligere, vbi conueniant, deque publicis istis negotiis agant eorum ministri. *Locus, in quem mittitur legatus.*

Sic factum est, vt Principum, quorum res tum agi debebat, Legati finito tricennali Osnabrugis in Westphalia conuenirent. Atque mos ille Principum, loco tertio per Legatos agendi, adeo frequens est, vt non opus sit, pluribus exemplis experientiam hanc illustrare. Rationes, cur id fiat, varii sunt argumenti. Sedis Principum distantia, pretiosa Legatorum magnificentia in aula obseruari solita, dubia victoria, securitas et libertas Legatorum, ipsius loci electi opportunitas, eius electionem saepe suadere possunt.

§. 8.

Ista sunt, quae complexi sumus definitione (§. I.) *Cur non* proposita. Quae si quis paulo curatius expendit, *plura de* facile animaduertet, iisdem Legatorum iura et officia *Legato.* contineri. Horum vero deductione, vt et Legatorum differentia, quae v. c. est *inter Legatos primi et secundi ordinis, inter ordinarios et extraordinarios, inter primarios et secundarios* ab autoribus alias obseruari solita, quoniam et ab instituto nostro alienum est, et in eo plures alii tam naturalis quam ciuillis iuris doctores desudarunt, superfedemus. Potius ad rem ipsam, cuius causa haec, quae explanauimus, praemissa sunt, nunc accedamus propius.

Iura quod attinet, quae Legatus in sua expeditione vti potest, commode comprehendere et quasi includi possunt independentia. Hinc enim legibus istis non adstringitur, quibus reliqui in hoc regno commorantes obsequium debent, hinc immunitate gaudent, hinc ipse solus animaduertere potest in domesticis delinquentes, hinc sacris vacare potest alias in ditio-
ne ista prohibitis, et quae sunt id genus alia. Ista vero independentia, et quae, hinc consequuntur, iura, inde pendunt,



quod Legatus nomine Principis sui adest, et eius personam repraesentat. Cum enim Principes, ut personae in statu naturali existentes, sibi inuicem aequales sint, neque alter altero vel ob maiorem potentiam, vel ob splendidiore titulos, vel ob grandiores diuitias, vel ob puriora sacra, vel aliam ob causam, superior esse possit, et Legatus vnus Principis altero Principe inferior et illi adeo subiectus sunt, sed esse tantum finguntur, se ita gerere non solent, quasi Principi, ad quem missi sunt, per omnia aequales essent; tamen ne id aut sui Principis honori, aut iuribus, quibus ipsi gaudent, deroget, nonnulla aequalitatis et independentiae signa, v. c. caput velando, confidendo, etc. edunt, quando ad Principem loquuntur. Obligationes, quoniam de his postmodum plura, opus non est, ut nunc recensamus.

Quamuis vero Legati iuribus sibi inuicem aequales sunt, externis tamen ceremoniis, quae adiecti honoris interpretes esse solent, distinguuntur. Hinc est, ut in Legatos primi et secundi ordinis dispendantur, quorum alter Gallis *un Ambassadeur*, alter vero *un Enuoyé* dicitur: Scilicet Legatus primi ordinis expresso caractere, ut cuius personam Principis sui repraesentat, communitus mittitur; Secundi vero ordinis Legatus, quamuis iisdem iuribus instructus sit, et sui Principis nomine negotia tractet, tamen externum hunc honorem sibi adiectum non habet. Legatus ordinarius perpetuo alicubi haeret, aut certe ad plura negotia haecenus nondum praecursus per tempus aliquod haud definitum tractanda mittitur; Extraordinarius vero vnum negotium aut plura determinata conficit, quibus finitis eius cessat legatio. Denique distinctio inter primum et secundarium tum obtinet, quando Princeps duas personas ad eandem legationem instruit. Optime ILL. LEIBNITIVS, qui sub nomine *Caesarini Fürstenerii* latet, in *Tr. de suprematu Princ. Germ.* p. 28. de hac differentia: *Adiectio honore distinguuntur ministri publico nomine missi in Legatos et Abligatos. Illos vocant Ambassadeurs, hos Enuoyés. Ambo rursus ordinarii et extraordinarii habentur. Residens autem nihil aliud est, quam Abligatus ordinarius, enuoyé ordinaire, alioquin frustra alios vocabimus Enuoyés extraordinaires, si nullibi sunt ordinarii, qui illis opponuntur.*

* Sufficiat dixisse ista de Legati definitione. Quoniam et Plenipo-

nipotentiarius Legatus est, circa huius characterem operosiores nos esse oportuit. Nunc de Plenipotentiaro plura.

§. 9.

Igitur dicamus, age, quid sit Plenipotentiarus? Legatus mandato cum libera instructus iuxta loquendi usum *Plenipotentiarus* est, neque nos a recepta hac definitione recedemus. Est autem *mandatum cum libera concessio facultatis negotium aliquod pro suo arbitrio in sui tamen, quoad fieri potest, Principis utilitatem conficiendi.*

Plenipotentiarus, quid?

Quoniam Plenipotentiarus vulgo dicitur Legatus mandato cum libera instructus, nobis retenta hac definitione saltim explicandum erat, quid sibi vellet *mandatum cum libera*? Equidem id declarationem Legati pro Plenipotentiaro esse, vel me tacente, nemo non intelliget. At vero nunc ulterius quaeritur, *quodnam huius declarationis esse debeat argumentum? quid sit, quo Plenipotentiarus in esse suo constituatur? quomodo mandatum cum libera a communi differat legatorum instructione?* et quae sunt reliqua. Itaque circulum in definiendo euitari diximus, *mandatum cum libera esse concessionem iuris negotium aliquod in Principis utilitatem pro arbitrio tractandi.* Nouimus Plenipotentiarum alii dici Legatum indefinitae instructionis, et hinc ex illorum sententia mandatum cum libera *indefinitam agendi instructionem* esse; Vid. RÜDIGER in *Inst. Erud. L. 2. P. 2. f. 3.* Nouimus vero et id, quod eo supposito plus iuris largiremur ministro, quam Principi, cuius potestas non prorsus absoluta est, sed legibus quibusdam fundamentalibus semper limitatur. Sed quis haec ferre possit sententiarum portenta? Ergo cautius progressi specificam Plenipotentiarum Legatique differentiam sic determinauimus, ut certis tamen legibus constriingeretur. Legatus enim certa agendi norma ad negotium suum instruitur, qua, quid concedere possit, et quid postulare debeat, expresse determinatur, atque eam transgredi, absque speciali Principis mandato, non potest. Plenipotentiarum mandatum vero talis non est instructio, non continet determinatam agendi rationem, non praescribit illi, quid concedendum sit, et quid denegandum Principi, hosti vel amico, sed potius illi facultatem impertitur, res Principis, quomodocumque ipsi visum fuerit, agendi. Ne quid tamen et in perniciem

populi susciperet, monuimus, arbitrium eius commodo et utilitate Principis limitari. Per Principis commodum et utilitatem vero intelligimus totius Reip. felicitatem, quemadmodum hanc ab illa diuelli haud posse, supra iam ostendimus. Haec tamen usque eo extendi non debent, ut Plenipotentiariorum plane non liceat quicquam agere cum Principis sui detrimento; Potius id saltem volumus, ut Principis commodum semper respiciat, et id, quantum fieri potest, promoueat. Saepe enim eo peruentum est, ut iam non sit res integra, sed princeps maius malum euitandi causa minus, quam maxime nollet, eligere debeat. Quodsi ergo Plenipotentiariorum, nisi in Principis, quocum agit, postulare consentiret, licet id fiat cum sui Principis detrimento, nihil profusus efficeret, sed maius malum ex irritis tractatibus uniuerso populo imminere potius praecideret, in haec utique consentire potest. Quapropter et in ipsa definitione huc respeximus, hac determinatione, *quoad fieri potest*, adiecta.

§. 10.

*Differen-
tia Pleni-
potentia-
riorum.*

Accidit subinde, ut ex Principis voluntate Legatus tale quidem mandatum producat, ideoque Plenipotentiariorum loco habeatur, priuatis tamen literis instructus sit, quae ipsi agendi modum limitesque, quos ipsi transgredi haud licet, praescribunt. Ille vero speciem Plenipotentiariorum tantum prae se fert, et actu non est, quamuis, vi iuris gentium voluntarii, ut talis recipiatur est aestimetur. Sed nos, qui de nexu Plenipotentiariorum cum Principe suo meditamur, de eo, qui nomine et titulo talis est, non loquimur, potius illius obligationem intuemur, cui vere concessum est munus Plenipotentiariorum, siue id genti, ad quam mittitur, manifestet, siue minus id faciat.

Plenipotentiariorum, nomine tales, hodie magis in usu sunt, quam vere tales, et propterea mittuntur, ut inde negotium aliquod serio tractandi propositum intelligatur, neque ex simulato sine legationem hanc instructam esse praesumatur, quod fit, quando v. c. foedera sunt percipienda, aut exorta quaedam controuersia amice componi debet. Namque ad fiduciam conciliandam, ad placandos sedandosque animos irritatos serium quidem agendi propositum, non autem Plenipotentiariorum absolute

solute requiritur, cum tale negotium ministro tempus et occasionem cum Principe suo communicandi semper relinquat. Nemo tamen inficias ibit, dari circumstantias, quae Plenipotentiarium vere talem necessario exigunt, et illas, quantum nos iudicamus, tum obtinere, quando quis summus exercituum praefectus nomine Principis ad bella cum hoste viribus praepotente gerenda mittitur. Nam quia omne bellum restaurandae pacis medium esse debet, et belli discrimen anceps est atque dubium, ut vniuersa rerum facies vel vnicui die mutari possit, necessum est, ut belli dux mandato de componendis armis et pace restituenda transigendi instructus sit, neque illum speciale Principis mandatum, imminente periculo, expectare oporteat. Occasio proficiendi breui praeterit, et quandoque deest tempus, instructionem a Principe expectandi. Fac enim, e. c. fortalitus aliquod hostium armis cinctum esse, quo expugnato illis via ad ipsam regiam pateret; Fac, de hoc fere actum esse, et, dum Principis mandatum expectatur, occupari posse ab hostibus; Nisi hoc tempore, antequam munimentum vltima quaeuis experiarur, belli dux cum hoste de pacis conditionibus conuenire possit, damni hinc consecuturi vniuersum populum postea certe poeniteret. Nam victor in ea postmodum difficulter consentiet, in quae facile consensisset, cum belli exitus adhuc dubius esset. Neque est, quod obiciat, quando eo peruentum est, posse belli ducem inducias petere, et ulterius mandatum a Principe suo expectare: Vnde enim nostri, hostem, victorem facile euasurum, in inducias et temporis dilationem, quod requiritur, consensurum, sibi que commodam hanc victoriae occasionem eripi passurum esse. Potius nos arbitramur, positis his circumstantiis, fore, ut hostis aut victimam sententiam ex instanti postulet, aut armorum felicitatem profequatur. Maior est necessitas Plenipotentiarium in castra hostium mittendi, quando ipse Princeps obsessa arce incluius est. Habemus itaque casum, qui Plenipotentiarium necessitatem virget, et, nisi nos omnia fallunt, ut plurimum fit, ut, qui copiis cum imperio praeficitur, mandato cum libera simul instruat.

§. II.

Ex his vero notionibus haec, quae huc maxime *Axiomata* faciunt, coguntur coniectaria:

quaedam
I. Quo. ex def. deducta.

1. Quoniam Plenipotentarius simul legatus est, (§. 9.) ille personam sui Principis refert. (§. 1. 4.)
2. Plenipotentario munus hoc per mandatum cum libera a Principe confertur. (§. 9.)
3. Plenipotentarius arbitrio suo in negotio, ad quod missus est, uti potest. (§. 9.)
4. Finis negotiorum, quibus fungitur Plenipotentarius, solus et vnicus, quem cum proposito scētare debet, esto salus et vtilitas Principis sui, quoad fieri potest, conseruanda et promouenda. (§. 9.)

SECTIO SECVNDA.

DE OBLIGATIONE PLENIPOTENTIARI.

§. 12.

Obligatio, quid? Cognita Plenipotentarii notione, in quo eius veretur obligatio, ostensu erit facilius. *Obligatio* nihil aliud est, quam necessitas certas actiones fulcipiendi vel omittendi. *Necessitatem* vero illam interpretamur impossibilitatem aliter, quam sic agendi, ita ut lex salua maneat, et quis liber sit a consecrariis, quae a legis transgressione pendent.

Qui huius temporis Eruditorum Acta vel primis labris degustarunt, quid de obligationis notione disputatum sit, norunt. Antiquitus *obligatio* descripta est per *vinculum iuris*, quo quis *necessitate adstringitur alicuius rei praestandae*. Hac definitione a Sacratissimo Imperatore tradita utebantur Iur. ciu. Doctores. A quo vero SAMVEL PUFFENDORF, vir immortalis nominis, tam in *Libro de O. H. C. L. I. C. II. §. 3.* quam in *I. N. I. L. III. Cap. IV. §. 3.* eam quoque iuris naturae et gentium principis inseruit, non solum a quibusdam eius interpretibus, quorum ingens agmen produci possēt, sed etiam a multis aliis, qui de norma actionum humanarum philosophati sunt, recepta est. Sed recentioris philosophiae Promachus, ILLUSTRIS WOLFIVS, animaduertens, philosophiam solide doceri haud posse, nisi definitionibus ab impropriis locutionibus sollicitè purgatis, obligationem in *Inst. Phil. Mor. §. 8.* per *connexionem motiuorum cum actione* definire maluit. Neque tamen is solus est, cui metaphorica dictio, *vinculum iuris*, in obligationis definitione displicuit.

Vocem

Vocem hanc abolendam esse, ipse Vir Summus, IO. GEORG. WALCH in *Lex. Phil. P. II.* voc. *Verbindlichkeit* p. 2656. recte monuit. Quae aduersus definitionem Wolfianam virgeri possunt, fere omnia congescit Vir Percelebris, TREVERVS, in *not. ad Puff. de O. H. C. L. I. c. 11. §. 5.* sed illi satisfacere voluit Vir acutissimus ISR. TH. CANZIVS in *Vfu Ph. L. et W. in Th. T. I. c. XI. §. 16-19.*

Si vero ista definitio, quam a WOLFIO traditam accepimus, receptae interpres esse dicitur, id certe de nostra multo magis praedicari poterit. Quod etiam alii iam innuisse mihi videntur. Namque ILL. WERNHERVS obligatione per vinculum iuris definita in *Elem. Iur. Nat. et Gent. Cap. III. §. 3. p. 67.* inquit: *Nempe per obligationem coercetur quasi et limitatur nostrum agendi arbitrium, ut voluntas ad actum legi contrarium se determinare sine vitio non possit.* Ne quis tamen vocem *Necessitas* inusitatam esse arbitretur, iterum mihi prouocare licet ad incomparabilem nostrum Theologum atque Philosophum, IO. GE. WALCHIVM, qui l. c. p. 2657. obligationem passiuam per *necessitatem moralem* definiuit. Quin et acutissimus huius generis veritatum arbiter Magnif. noster LEHMANNVS in *not. ad Puff. de O. H. C. p. 86.* obligationem, passiuam scilicet, sensum necessitatis vocat, ut adeo haec vox non noua sit, et prorsus insolita. Quemadmodum vero omnis necessitas est contrarii impossibilitas, sic et necessitatem agendi moralem interpretati sumus *impossibilitatem salua lege aliter quam sic agendi.* Non enim *absoluta* est impossibilitas, quasi, qui obligatus est ad actionem quandam, hanc non possit omittere; sed *hypothetica* tantum, qualis quaelibet est moralis necessitas. Lex vero salua manet, quam diu non violatur. Ergo qui obligatus est ad actionem suscipiendam vel omitrendam, ille non potest eam sine violatione legis omittere vel exsequi. Sed quia necessitas postulat, ut quis vel vnice ad vnum quid, vel certe ad vnum magis quam ad alterum determinatus sit; obligatio non foret necessitas, si perinde esset, siue nos imperata exsequamur, siue omittamus. Diximus hinc, necessitatem hanc esse impossibilitatem aliter agendi, *si quis malorum experte esse velit, quae ex transgressione legis consequuntur.* Haec mala, quae cum legis transgressione connexa sunt, vel naturali vinculo vel arbitrio legislatoris, animum ad legis custodiam compellunt, illique necessitatem quasi imponunt, illi suas actiones conformandi, quoniam mens nostra, quae sibi mala esse nouit,

C

uit,

uit, necessario vitat et auerfiatur. Cum vero, quemadmodum hinc palam est, necessitas ista a malorum repraesentatione pendeat, quae alias motiuum appellari solet, vides nostrae definitionis cum ea conformitatem, qua obligatio esse dicitur con- nexio motiuorum cum actione. Atque si vinculum iuris nihil aliud est quam moralis quaedam necessitas, oppido patet, connexionem motiuorum cum actione a vinculo iuris non differre, sed id saltem clarius et distinctius explicare. Caeterum nos hanc definitionem elegisse scias, quia comperimus, hac supposita, breuiore et faciliores fore, quae nunc sequuntur, demon- strationes.

§. 13.
Ad quas
derur
actiones? *Ad eas igitur actiones aut suscipiendas aut omitendas obli-*
gamur, quas lex aut facere aut vitare iubet. (§. 12.)

§. 14.
Inde co-
gnosca-
tur? *Hinc omnis obligatio ex lege dignoscitur. (§. 13.)*

§. 15.
Num qua
fit sine
lege? *Quapropter vbi nulla lex, ibi et nulla obligatio. (§. 14.)*

§. 16.
Obligatio-
nis trans-
gressio,
quid? *Qui vero contra obligationem suam agit, illum sentire oportet confectaria, quae cum legis transgressione connexas sunt. Namque obligatio impossibilitatem inuoluit aliter, quam sic, agendi, si lex salua manere, et quis a confectariis a legis transgressione pendentibus liber esse debet. (§. 12. Si quis ergo quid aduersus eam suscipit, lex non manet salua, neque adeo a confectariis cum legis transgressione connexis absolui potest.*

§. 17.
Legis
transgres-
sio quid
officiat? *Ergo, qui legem transgreditur, confectaria sentit, quae illa sui transgressoribus imputatur. (§. 13. 16.)*

Euidens hoc definitionis nostrae confectarium experientiae exacte respondere arbitror. Fac enim, legem latam esse a Principe, quae huius tenoris est: *Nemo exoticas merces venditum exponat, et qui secus egerit, mulctandus est mille aureis; tum si quis eas vendiderit, legem transgressus est, et hinc destinatam mulctam pendere debet. Quod exemplum si vterius persequi placet, opportunitatem huius definitionis te docebit eui-*

dentius. Si quis enim, hac lege publicata, ut sibi merces huius generis vendat, a mercatore postularer, hic, si vel maxime haberet, se eas vendere haud posse respondebit. Cur vero non potest? Num impossibile est absolute? Nonne merces, quas possidet, tradere potest emptori, et ab eo pretium accipere? Potest utique; Sed impossibilitas moralis adest. Lex et transgressioni eius annexa poena negotium hoc reddit impossibile. Qui ergo obligatus est ad huius legis custodiam, necessitate quadam compellitur, ut illi satisfaciatur.

§. 18.

Inter praecipuas Iur. Nat. leges haec certe non ultima est: *Pacta servari debent.* Ista vero *servantur*, si *Pacta servari debent.* Pacta promissa sunt, sin minus, *violantur.* Confectaria huius legis transgressio est vel *damni*, quod alter nostra culpa fecit, *restitutio* vel *satisfactio* quaevis alia.

Praemissa obligationis notione ad eam, quae a pacto pendet, progredimur, quoniam Plenipotentiarum obligationem a pacto vnice deducturi sumus. Equidem omnis civium erga Principem obligationis robur a pacto quodam repetenda est, in quod a maioribus percussus quisque consentire debet, qui in civitatem recipi cupit. Namque natura neminem alterius imperio subiectum progignit, et si quis sibi alterum, quem se debiliorem viribusque inferiorem inuenit, eam ob causam subicit, regni et populi usurpator est, neque villo iure obsequium a subditis postulare potest. Quamvis itaque sua cuiusvis civium obligatio pactum cum Principe supponit, tamen hoc, a quo Plenipotentiarum obligatio pendet, peculiare est, et ab eo, civitatis stabilimento, plane diversum. Secus qui sentit, et antiquum illud pactum, quo uniuersa civitas suis veluti ligamentis continetur, obligationi Plenipotentiarum, cum amicorum quidam aut generatim civitatis membrum esse soleat, profus sufficere arbitratur, nae, is non animaduertit, multa Plenipotentiarum licere, a quibus sibi alius civis cauere debet, et multa illi non licere, quibus alius civis non interdicitur. Licet Plenipotentiarum civile imperium in domesticos suos exercere, licet illi arcana status et Reip. scrutari, ut quid illi salutare et proficuum sit, sciat, licet illi negotia sui Principis pro arbitrio tractare; Horum vero nihil alius civis, qui Plenipotentiarum



pleni-
tentiarii munere haud fungitur, facere potest. Sic et Plenipotentiarium negotia publica curare, sua vero negligere oportet; sed ad haec non adstringitur cuius quisque alius. Si qua vero iura sibi arrogaret Plenipotentiarius absque pacto intercedente, quibus reliqui ciues carent, hic iurium usus nihil aliud quam rebellio foret. Et si minister Plenipotentiarius ad plura cogere-
retur, quam ad quae omnis alius ciuis cogi potest, idque sine speciali pacto, Princeps iure suo abuteretur, cum pactum, quo ciues olim in ciuitatem coaluere, omnes aequaliter obliget. Dixeris, ad haec non pactum, sed speciale summi Imperantis mandatum requiri; Atque ita est. Ipsi nos iurium Plenipotentiarii concessionem mandatum diximus. Sed quid hoc est mandatum Principis et paritio ministri aliud quam pactum? Ex ipsa pacti notione id suo loco demonstrabimus. Si vero mandatum hoc sensu sumptis, ut sit voluntas Principis, quae praeter absolutum ministri obsequium nullum habet effectum; nego, ad Plenipotentiarii ablegationem solum principis sufficere mandatum. Namque primo Minister, qui ad hoc munus postulatur, illud recusare potest. Secundo non obligationem modo sed et certa iura munus hoc in Plenipotentiario producit. Tertio ipsi Principi obligatio intuitu ministri imponitur. Caeterum si quis pactum inter superiorem et inferiorem pro impossibilem habet, fateor, nihil in vniuersa de pactis disciplina, me quidem iudice, occurrere, quod tale pactum inter negotia impossibilia referre possit.

§. 19.

*Pacisci,
quid?*

Pacisci eos dicimus, quorum alter alteri aliquid promittit, et alter promissum acceptat. Enim vero cum vel vnus vel vterque paciscentium promittere et promissum acceptare possit, pacta in *vnilateralia* et *vnilateralia* dispesci solent.

§. 20.

*Obligatio
ad pacti
impletio-
nem.*

Quoniam ad eas actiones suscipiendas obligamur, quas lex nos facere iubet, (§. 13.) *quilibet ad ea praestanda et adimplenda, quae pacto promissa erant, obligatur.* (§. 18.)

§. 21.

*Obligatio
ad satis-
factionem*

Contra eum, qui obligationem suam negligit, reus sit confectariorum, quae cum transgressione legis con-

connexa sunt, (§. 16.) *quemus, violato pacto, damnum restituere aut alio modo satisfacere oportet.* (§. 18.)

Intelliges hinc, cur libellus hic *de obligatione Plenipotentiarum* inscriptus sit. Nam quia obligatio eius postulat, ut pactum sancte seruet, et, si id violauerit, Principi suo satisfaciatur, nos vero in id nobis inquirendum sumpsimus, quando ad hanc satisfactionem cogi possit, inscriptionem hanc tractationi nostrae exacte respondere, nemo non videt.

§. 22.

Princeps cum Plenipotentiarum suo pactus est. Quando Pactum quidem munus illi suum a Principe per mandatum *Principis* cum libera confertur, (§. 11. n. 2.) quando scilicet *cum Ple-* Princeps ministro suo facultatem concedit negotium *nipor*, aliquod pro arbitrio quidem sed in suum tamen emolumentum conficiendi. (§. 9.) Ergo Plenipotentiarum constituitur, dum Princeps se negotium aliquod publicum pro eius arbitrio tractari passurum esse pollicetur, et Plenipotentiarum se suo arbitrio in Principis utilitatem usurum esse repromittit, uterque vero promissum acceptat. Quoniam vero promittere et promissum acceptare est pacisci, (§. 19.) et Princeps cum Plenipotentiarum suo pactus est.

§. 23.

Ea vero, de quibus paciscentes conuenere, haec *Leges speciales* sunt: hinc

1. *Princeps ferre debet, ut Plenipotentiarum iuxta suum arbitrium negotia publica tractet et componat.* resultantes.
2. *Plenipotentiarum uti debet suo arbitrio in Principis emolumentum et utilitatem.* (§. 22.)

Utraque propositio legis instar haberi debet. Quando enim lex est sancte custodienda, pacta seruari oportet, (§. 18.) legis quoque vim sustinet, quae, de quo pacto conuentum est, indicant propositiones.

§. 24.

Inde efficitur, obligatum esse Plenipotentiarum ad munere Obligatio suo ita fungendum, ut omnes eius negotiationes vniuersae tendant in Plenipotentiarum sui praecipua.

sui Principis utilitatem et emolumentum. Namque si ad ea omnia obligamur, quae lex quemque facere iubet, (§. 13.) et Plenipotentarius ad ea obseruanda adfringitur, quae lex ipsi praecipue lata ab eo postulat. Iam vero lex ista haec est: Utatur arbitrio suo in negotiis publicis ad principis sui utilitatem: (§. 23. n. 2.) Ergo et necessum est, ut haec sola finis sit omnium ipsius functionum.

Quod ut rectius intelligatur, monemus, Plenipotentiarium officio suo satisfecisse, si hunc finem sibi semper praefixum habuit, fecitque omnia, quibus sui Principis salutem promoueri posse arbitratus est. Plura enim si Princeps ab eo postularet, non potuisset negotia sua ministri arbitrio relinquere. Et si ministrum vellet, qui nihil unquam susceperet, nisi quo summa eius felicitas promouetur, hunc inter homines frustra quaereret. Homo enim facile errat, facile nimis praecipitanter agit, et facile dicitur. Id vniue cauere potest, ne quid aduersus fines cum proposito agat, quos sectari utique debebat.

§. 25.

Quando contra obl. agat? Ergo, si propriam utilitatem sui Principis utilitati praefert, contra suam obligationem egit. (§. 24.)

Ex iis, quae mox consequentur, apparebit, Plenipotentiarium tum solum deliquisse, quando priuatum commodum publico praetulit. Per priuatum vero commodum h. l. intelligimus id omne, in quo suam quisque felicitatem versari putat, ut sunt diuitiae, honos, voluptates, fuga periculi, et id genus alia. Hoc monitum magnum pondus habet, quando, num quis obligationem suam neglexerit, nec ne, iudicari debet. Tum enim nosse oportet, quibus maxime inclinationibus trahi soleat Plenipotentiarium.

§. 26.

Quando non? Fac igitur, eo peruentum esse, ut summa Principis utilitas conseruari, et si maiora incommoda pelli debent, in aliquod Principis sui damnum consentiendum sit; tum Plenipotentiarium, si quid hosti aduersus Principis sui utilitatem concessit, nihil egit contra suam obligationem. (§. 25.)

Fingamus illustrationis causa hunc casum. Duo Principes bella gerunt aduersus se inuicem. Vnius vires duplici praedio fra-

fractae sunt maximam partem. Imminet tertium, et munimentum, quod in finibus Regni vnicum adhuc superstes est, corona cingitur. Euentus proelii, copiis magno labore defatigatis, timidisque duplici strage factis, et numero hosti imparibus, anceps est et dubius. Oppidum, quod obsidetur, vitima fere experitur, quo expugnato et exercitus et vniuersum regnum in magnum discrimen adducitur. Quodsi ergo Plenipotentarius his positis circumstantiis cum hoste tractat, ipsique oppidum obsessum vltro cedit, vt sui Principis copias conferuet, regnoque pacem restituat, nihil contra suum officium egit, quamuis fortalitiu istud hosti non sine damno Principis tradi possit. Maiora enim mala exceperunt Principem, nisi de hac pacis conditione conuentum esset. Ergo nemo suspicari potest, Plenipotentarium hunc sui Principis vtilitatem malitiose neglexisse, illique vel hostis vel suam felicitatem praetulisse. Secus se res haberet, si ineundo praelio hostisque castra circa oppidum metientis inuasionem maior lucrandi quam amittendi spes adfuisset, et Plenipotentarius eam saltim ob causam transactione certamen cauere voluisset, vt securitati suae confuleret. Tum enim vtique suum commodum publicae saluti praerulisset, et hinc aduersus suam obligationem aliquid fecisset, sicuti §pho praecedenti monuimus.

§. 27.

Neque tum quidem, si forte, cum opus non fuisset, in Idem o-maiora mala consenserit, quoniam haec reliquis a praesenti rerum stenditur Systemate metuendis minora iudicauit, a sua obligatione recessisse censendus est. (§. 24. 25.)

Quando Plenipotentarius Principi, quocum agit, plura in sui Principis damnum concedit, quam necessum erat, id aut perspectum habuit, aut plane ignorauit. Si prius, vtique deliquit. Tum enim arbitrio suo vsus aut potius abusus est contra salutem publicam, quod pugnat cum §. 23. 24. Sin posterius, officio suo satisfecit. Nam quamuis alias ignorantia dispesci soleat in vincibilem et inuincibilem, et illa pro imputabili recte habeatur, hic tamen imputatio ista non obtinet, quoniam vniuersum negotium ipsius arbitrio permillum erat. Princeps, qui confusus erat ministro, quod, quae ad salutem publicam facerent, recte sciret, ideoque ipsum hac in re suum iudicium sequi iussit, sibi ipsi imputet, quod non alium maiori rerum gerendarum pericia instructum elegerit.

§. 28.

§. 28.

Accidit quandoque, ut ea, de quibus conuentum est, executioni dari debeant, antequam ea Plenipotentiarium Princeps rescuerit, suumque consensum declarauerit. Quodsi itaque Plenipotentiarium, rebus id exigentibus, in eorum executionem consenserit, nihil egit, quod obligationi eius aduersum foret. (§. 25.)

Repetamus hic ea, quae diximus Sch. §. 26. annexa hac conditione, quod Princeps hostis, aut qui eius nomine adsunt, transactionem Plenipotentiarium alterius Principis acceptare nolint, nisi hic in praesentissimam eius executionem et oppidi euacuationem consentiat, antequam cum Principe suo communicauerit. Id enim fieri posse et solere, quisque facile intelliget. Quandoquidem hostis cauere debet, ne hosti spatium nouas acquirendi vires concedat, aut suorum ardor ante victoriam quiete extinguatur. Quodsi ergo Plenipotentiarium hac necessitate coactus in hostis postulata consentit, et promissa executioni dari patitur, antequam id notum fecerit suo Principi, a delicti suspitione haecenus absolui debet. Ut taceam, mandatum cum libera Plenipotentiarium simul libertatem impertiri, negotia absque vltiori Principis consensu conficiendi.

Si vero conditio ista, ante Principis declarationem in promissorum executionem consentiendi, euitari potest, prudenter agit Plenipotentiarium, si, antequam in hanc consentiat, id, de quo conuentum est, cum Principe suo communicat, eiusque declarationem expectat. Quamuis enim id Princeps ab eo perfecto iure postulare nequit, tamen eiusmodi ministro caute procedendum est, ne reduci lites moueant, qui inuidia correpti ipsius famam laceraturi, eumque de fraude variis machinationibus suspectum reddituri sunt.

§. 29.

Quamuis itaque, ut dictum est, Plenipotentiarium nullius commodum sui Principis vtilitati praeferre potest, (§. 25.) falsus tamen foret, qui inde suspicaretur, Plenipotentiarium licere aliquid contra LL. fundamentales vel capitulationes concludere, si vel maxime Princeps in hoc negotio suam versari felicitatem existimaret. Namque ut taceam, vanam et falsam esse Principis felicitatem, quae Reip. ruinis promouetur, ut iam supra monuimus, adeoque hoc casu nihil ad Prin-

Nil potest concludere contra LL. fund.

Principis utilitatem suscipi, vel ex hac ratione Plenipotentarius id agere prohibetur, quoniam Princeps neque ipse neque per alium quicquam suscipere potest, quod aduersum est legibus Reip. fundamentalibus vel capitulationibus. Iam vero Plenipotentarius personam sui Principis refert. (§. II. n. I.) Ergo nec illi licet tale negotium cum alia Rep. conficere.

Neque vlla lege ad negotium hoc expediendum, si vel maxime in mandatis haberet, obstringitur. Lex enim, si qua foret, ex praeuio pacto dignosceretur. (§. 18. Sch.) At vero tale pactum impossibile et inuulidum est. Nam quando Princeps cum Plenipotentario de negotio contra Leges Reip. fundamentales conficendo paciscitur, iura ciuitatis violat, quale pactum iuxta Principia iuris naturae ipso facto nullum et inuulidum declarari debet. Hinc non solum nulla in ministrum cadit obligatio tale negotium expediendi, sed etiam contra obligationem, quae ipse in Persona Principis sui Reip. debet, aliquid moliretur.

Quod vt rectius intelligatur, velim meminerint lectores nostri, LL. fundamentales et capitulationes esse normas pactitias, quibus imperans modum exercendi iura imperii summi attemperare obligatur. Vid. B. HENR. KOEHLERVS *in Iur. Soc. et Gent. Spec. VI. §. 1545*. Qui Marchiavellistarum sectae adhaerent, Legibus quibuscunque solutos esse summos Imperantes volunt, Legumque adeo fundamentalium et capitulationum vim eos obligandi negant penitus. Sed quamuis iura et potestas Principis adeo restringi non debeat, vt subditis ob vilissimam saepe causam seditiones et turbas excitandi fiat copia, tamen nec omnia eius vincula relaxari aut potius rescindi debent, vt potestate sua in perniciem ciuium facile abuti possit, quemadmodum bene monuit ILL. GRIBNERVS *L. H. c. 7. §. 4. not. 1*. Scilicet non ad ciuiliu legum obseruantiam tenentur Principes, cum penes eius summa sit potestas, neque suarum actionum arbitros agnoscunt, quibus ipsi aut leges ferunt, aut certe tamen aequales sunt; sed diuinis tamen et naturalibus legibus, eo quod omnes in vniuersum homines obligant, et horum numero nec Principes eximi possunt, debent obsequi-

D

um.

nm. Hisce adsentitur v. s. v. IO. GE. WALCH in *Lex Phil. P. II. voc. Gesetz der Natur* p. 1266. inquit: *Es ist noch weiter daher zu erkennen, daß auch die weltlichen Regenten und Fürsten eben so, wie andre Menschen, die ihre Unterthanen sind, die Verbindlichkeit aus dem Gesetz der Natur auf sich haben, etc.* Quae cum ita sint, nullum dubium est, quia Principes capitulationibus suis Legibusque fundamentalibus adstringantur, neque ullam ob causam aduersus eas quicquam suscipere liceat. Hinc et ILL. DE WERNHER in *Elem. Iur. Nat. et Gent.* cap. XXV. §. 33. inquit: *Sic etiam aduersus Capitulationes seu Leges fundamentales, quibus ad certum imperandi modum se Princeps adstrinxit, nulla metus aut erroris aliaue exceptio ualeat.* Quapropter nisi ministro plus iuris uelis concedere, quam ipsi Principi, fateri oportet, Plenipotentiarium, si quid aduersus Leges fundamentales seu capitulationes iussu Principis suscepit, contra suam obligationem egisse. Fac igitur, iustum esse Plenipotentiarium, ut cum aliis Rebus publicis de auxilio Principi ferendo, focus percutiat, quo limitatum regimen in absolutum conuertere, aut Religionem, quae vi capitulationis dominans esse debet, suppressere, aut in regno electiuo populum ad electionem filii successoris, promissamque illarum auxilio adimplendam compellere possit feliciter; tum, si mandatum hoc exsequitur Plenipotentarius, certe suae obligationi nuncium misit, et Patriae proditor atque publicae securitatis hostis declarari debet. Si cui dogma hoc uideatur nimis durum et perniciosum esse, et inde confesqui putat, quod cuius Principis mandato obsequium detrectare liceat, hunc obsecro, ut gentium facta, de quorum iustitia nemo haecenus dubitauit, in mentem sibi reuocet. Quot enim ministri, defuncto Principe, ad supplicium trahi sunt, quorum opera Princeps usus est in Reip. perniciem? Si uero id accidit ministro, qui in ipsis Reip. uisceribus iussu Principis aduersus ciuium felicitatem capitulationibus aut LL. fundamentalibus suffultam saeuit, quidni ministro Plenipotentiarium, qui alios gentes aduersus Kemp. deperditis suis consiliis armare, et eternum hostem ad promouendum Patriae ruinas excitare ausus est?

Finis Plenipotentiarium.

§. 30.
Ergo quoniam nihil Principis, nihil Reip. saluti praeferre potest Plenipotentarius, (§. 25. 29.) *uirius quo salus et felicitas vnus et solus finis suae legationis esse debet.*

§. 31.



§. 31.

Quando suum commodum aut Principis aut Reip. *Plenip. ob-*
hoc est, publicae salutis (§. 5.) praeponit Plenipotentiarius, suam obligationem violavit, (§. 30.) et hinc omnia *ligatio ad*
sentire debet incommoda, quae ab huius legis trans- *satisfaci-*
gressione pendent. (§. 16.) Enimuero lex ista, quae *endum.*
Plenipotentiarium obligat, haec est, Pacta feruari debent, (§. 23.) et huius transgressione consequens est vel restituitur vel satisfactio quaeuis alia: (§. 18.) *Ergo et illo speciatim ad restitutionem damni aliamue satisfactionem tenetur.*

Damnum, quod causatur Plenipotentiarium obligationis suae oblitus, fere semper adeo magnum est, ut omnia in statum pristinum restitui, et funesta negotiationis eius consecutaria aboleri ab eo nequeant. Quod enim aliis Rebuspublicis promissit, implere debet Princeps. Ipse vero promissum suum irritum reddere vix unquam poterit. Si multas diuitias, vrbes et praedia possidet, et cum alia Rep. de soluenda certa pecuniae summa conuenit, eius bona sibi vindicare potest Princeps. Si bona eius non sufficiunt, aut si damnum causatus est, quod bonis quibuscunque reparari nequit, non solum iis priuari debet, sed etiam externa et corporali poena afficiendus est. Hac poena licet non satis fiat Principi, si satisfactio hoc sensu sumitur, ut sit dare aequipollens pro eo, quod ablatum est, tamen finis poenarum ciuiliu[m] obinetur, qui est cautio, ne posthac alii simili modo delinquant.

§. 32.

Omnis legum transgressio est vel *dolus* vel culpa. *Dolus* est Qui destinato consilio contra legem agit, *dolose*, qui culpa, absque proposito illam transgrediendi legem violat, *quid?* *culpose* peccat. Quando itaque Plenipotentiarium eam ob causam officium suum negligit, ut inde aliquid emolumentum capiat, et hinc suam vtilitatem publicae praefert, eum fraudem commississe, nemo non videt. Itaque cum manifestum sit, propter hanc fraudem a Plenipotentiarium restitutionem aut satisfactionem exigi posse, (§. 31.) dispiciendum nunc erit, *num et aliam ob causam, siue fraudulenter siue culpose egerit, ad restitutionem vel satisfactionem obligari possit?*

D 2

Insti-

Instituti nostri ratio poscit, vt sollicite determinemus, quando Plenipotentarius obligari possit ad poenae persequomem. Sed quoniam hanc pati non potest, nisi legem sibi in specie latam transgressus fuerit, oppido pater, necessum esse, vt, quando hanc violauerit, ostendamus. Quod vt distinctius explicari et demonstrari possit, hac methodo vsi sumus, vt primo omnes nobis modos, quibus lex violatur, seorsim repraesentaremus, vt, quoniam legis transgressio vel fraus vel culpa est, secundo, quatuor modis fraudis committi possit, ostenderemus, vt tertio culposam legis transgressioem non esse delictum Plenipotentario imputabile demonstraremus, vt denique quarto propter vnicam fraudem, si euicta fuerit, eum in ius vocari posse, hac vero non existente absolendum esse, concluderemus.

§. 33.

*Vnica
fraus tan-
dum pos-
sibilis.*

Fraudem igitur quod attinet, praeter hanc, quam indicauimus, vix aliam possibilem esse, arbitramur. Nam qui naturam animae suae perspectam habet, facile nobis largietur, nihil a nobis decerni posse, nisi quod nobis bonum esse h. e. nostro commodo, vtilitati, felicitati, vno verbo, perfectioni inferuire iudicamus. Qui ergo legem nouit, eamque circumstantiis probe ponderatis transgreditur, non putuit non inde non nihil felicitatis in semet redundaturum expectare. Quapropter et Plenipotentarius, quando cum proposito delinquit, h. e. suum officium negligit, et publicae salutis, quam promouere debebat, studiose derogat, id propter priuatum commodum facit, suamque vtilitatem publicae felicitati praefert.

§. 34.

*Multiplex
tamen
culpa pos-
sibilis.*

Quamuis itaque omnis fraus ex hoc vnico saltem fonte promanat, tamen nemini dubium esse potest, quin multis modis culpa a Plenipotentario committi possit. Quando enim decreta sua nimis praecipitat, quando sibi soli nimis confidit, quando non omnes circumstantias sollicite rimatur, quando nimia temeritate vsus se ipsum in discrimen adduci patitur, & quae sunt id ge-
nus

nus alia, tum quid facile contra utilitatem publicam
culpose potest luscipere. (§. 32.)

§. 35.

*Sed propter culpam, modo fraus absit, Princeps a Pleni- Pro culpa
potentiaro pro rebus infeliciter gestis satisfactionem postulare ne- satisfact.
quit. Nam licet culpa commissa sit, ille tamen, quam non prae-
uis falso, opinatus est, Principis sui utilitatem non a- stat.
liter, quam sic, conseruari aut promoueri potuisse (§.
32.) Enim vero Princeps ferre debet, vt sua utilitas
pro ministri Plenipotentiarii arbitrio promoveatur aut
conseruetur: (§. 23.) Ergo nec Plenipotentiarius ob
culpam commissam ad satisfactionem cogi potest.*

Idem & ex sequenti ratione palam est. Quando
Plenipotentiarius per culpam salutis publicae parum
prospexit, id non ex destinato consilio fecit, sed quem
ipse elegisset modum, optimum esse, publicam felicita-
tem, quantum pro rerum circumstantiis fieri posset,
conseruandi et promouendi, utique persuasus fuit. Lex
vero, ad quam suas actiones componere debet, haec
est: Conficiat negotium, quomodo ipsi salutis publi-
cae proficuum esse videbitur. Hanc quoque recte
custodiuit, licet id, quod noxium erat, ipsi profi-
cium esse visum sit. Cum itaque satisfactio conse-
quens sit legis violatae, (§. 18.) ad eam culpa im-
putari non potest Plenipotentiario.

§. 36.

*Ex his omnibus tandem efficitur, Plenipotentiarium non Quando
nisi ob priuatum commodum, cuius causa publicum studioso negle- Plenip. in
xit, in jus vocari & ad satisfactionem cogi posse. Quando- ius vocari
quidem nemo facile suspicabitur, a quoquam Satis- possit?
sactionem extorqueri posse, nisi legem transgressus
fuerit. (§. 17. 18.) Ergo haec saltem in eum cadit, qui
transgressor et contemptor legis factus est. Iam vero
lex vel fraude vel culpa violatur. Igitur et Plenipo-
tentiarium vel ob fraudem vel ob culpam suo Princi-*

pi satisfacere oportet. Enimvero culpa ipsi ad satisfactionem imputari nequit, (§. 35.) et fraus non alia possibilis est, quam si priuatum commodum utilitati publicae praetulit. (§. 33.) Igitur et propter hanc solam reus est satisfactionis.

SECTIO TERTIA.
DE CRITERIIS, VNDE PLENIPOTENTIARIÛ
NEGLECTA OBLIGATIO DIGNOSCITVR.

§. 37.

Necessitas huius transactionis. Qui proaereticè et destinato consilio peccat, et quae mala, si delictum innouerit, ipsum exceptura sunt, nouit, recte res suas agere, et fraudem, quantum potest, occultare solet. Quapropter necessum est, vt criteria inuestigemus, vnde, num Plenipotentiaris priuatum utilitatem publicae praetulerit, colligi potest. Vt itaque tractatio nostra completa, omnibusque numeris absoluta sit, id operam daturi sumus, vt illorum potiora praecipuaque breuiter eruamus.

Equidem theoretica rei contemplatio practicae semper praemittenda est, si qua inesse debet actionibus nostris certitudo; tamen parum utilitatis praestant speculationes, nisi illarum applicatio ad casus obuios simul sit manifesta. Quod cum euidentis sit, omnique prorsus dubio careat, supremo iudici, nosse, quod fraus sola delictum sit Plenipotentiaris ad poenam impurabile, haud quicquam profuturum esse, quisque facile intelliget, nisi ex actionibus, fraus an culpa commissa sit, iudicare sciat. Quamuis vero delicti corpus, antequam id confessus est de crimine suspectus, certo non constet, et nemo nisi euicto crimine ad poenam condemnari possit, tamen quoniam iniustum foret, quemuis rebus infeliciter gestis statim ad iudicem rapere, et ad alicuius turpitudinis confessionem cogere, oportet, adfint indicia, quae ipsum fraudis suspectum reddunt. Haec itaque sunt, in quae nobis inquirendum esse arbitramur.

§. 38.

Quid ante electionem obseruari debeat.

Primo omnium nosse iuvat, quid factum sit ante electionem. Minister, qui iuribus Plenipotentiaris instruitur, aut pro-

prouinciam hanc sollicitè quaesuit, aut proprio Principis motu electus est. Posterior vltro postulatus aut istud officium, antequam in se susciperet, deprecatus est, aut sine mora paruit. Quando se huic muneri subducere voluit, rursum attendi debet, num ipsum demandatum officium propriam vtilitatem negligere cogat, nec ne? De singulis nunc nostram sententiam dicemus.

Non est, quod probabilitatis et coniuicendi regulas hic praestruamus: Nam quoniam nobis non licet esse fustioribus, et praeter haec omnis probabilitas ex causis et circumstantiis colligitur, quae ad rei alicuius existentiam necessario requiruntur, sufficere, ex circumstantiis ostendisse, quod plus causae existentiam quam non existentiam fraudis praesumendi adfit.

§. 39.

Maiores fraudis et publicae salutis ob priuatam commodum neglectae est suspicio, quando Plenipotentiarius prouinciam hanc ante electionem ambuit, quam si id factum non fuisset. Namque nemo mortalium rationis compos, ut sibi peragendum aliquod negotium imponatur, maxime si grauioris ponderis est, sollicitè quaeret, nisi certum finem sibi praestitutum habeat. Hic finis, quoniam ipsius perfectioni cedere debet, aut commodum viuendi genus, aut honor erit, aut voluptates aut denique bona acquirenda. Siquidem horum aliquod omnium actionum humanarum finis esse solet naturalis. Sed quoniam priuata vtilitas id omne est, in quo quisque suam felicitatem aut perfectionem versari putat, certum est, hunc, qui munus hoc ambiit publici negotii expeditione priuatam vtilitatem promouere voluisse. Itaque quando publica negotiatio infelicem exitum habet, hoc ipso, quod illi se ob priuatam vtilitatem obtulit, maior suspicandi ratio est, ipsum quoque ob priuatam vtilitatem bonum publicum neglexisse, quam adforet, si finis iste quaesitae et susceptae expeditionis non constaret.

Qui



Qui Plenipotentiarium officium ambit, praeter acquirendas diuitias vix alium finem habere potest, quamuis in genere vno ex omnibus felicitatum generibus ipsum commotum esse oportere, breuitatis causa in ipsa demonstratione dixerimus, aut si habet, vix quicquam in Reip. detrimentum concedet. Qui enim commodum et tranquillum viuendi genus amat, legationi, quae magnos labores, vigilantiam, curas, quin et saepe periculum sibi annexa habet, se non facile offeret. Qui voluptatibus delectatur, si potest, domi manet, ibidemque illis quiete fruitur. Accedit, quod voluptuosus timidus esse soleat, et hinc periculum, cui Plenipotentiarium plerumque obnoxius est, auerfetur. Tantum abest, vt se Principi obrudat. Honor, quem quis legatione quaerit, aut vanus est, consistens in externis ceremoniis, splendidis compellationibus, veneratione, etc. aut verus pendens a iudicio prudentiorum de rebus bene, sapienter et in totius populi felicitatem gestis. Sed neuter horum efficit, vt Plenipotentiarium fraudulenter agat, et quid contra salutem publicam studiose concedat. Nam qui vanam gloriam sectatur, facile intelligit, maiores fore populi acclamations, illustriorem magnificentiam, qua rediturum distincturi essent, insigniora encomia, quae sibi polliceri potest, reliqua, si res suas bene, quam si male, gesserit. Verum honorem si quis quaerit, tantum abest, vt proaereticè peccet, vt potius hic ipsum incitet, ad salutem publicam indefesso labore, omnibusque viribus et suae vtilitatis neglectu promouendam. Hinc vitro se offerens aut honorem aut diuitias quaesuit. Si honorem, raro accidet, vt plura in detrimentum Reip. concedantur, quam concedi debuerunt. Ergo si plus conceditur a Plenipotentiarium, vitro se offerente, quam concedi debebat, maxima est suspicio, ipsum id ob priuatam vtilitatem fecisse.

Saepe tamen et vanae gloriae sectator fraudis suspicionem incurrit. Primo quidem, si cognouerit, Principem futura legatione vtilitatem suam cum detrimento salutis Reip. et contra capitulationes vel LL. fundamentales promouere velle, seque Plenipotentiarium officio obtulerit, tum, si negotium ad sententiam Principis et simul perniciem ciuium confecit, vti que praesumitur, id studiose et eam ob causam fecisse, vt ad Principem redux ad maiores dignitates eleuaretur. Deinde et caliditate ministerii Principis, ad quem missus est, decipi, et extraordinaria prorsus distinctione, insolito honore, inuisitata magnificentia et magnatum blanditiis, vt in ea, quae ab ipso perunt, consentiat, commoueri potest. Prae-

Præterea ipsius negotii, ad quod expediendum se offert, natura sæpe fraudis suspicionem auget. Quod vero quoniam multiplex esse potest, exemplo quodam asseritum hoc illustrabimus, vt ad alios casus facilius fiat applicatio, deque iis iudicandi copia. Si Princeps regni, in quo Protestantium Religio vi capitulationis dominans esse debet, Romanensibus nimium fauet, horum liberiori Religionis exercitio et iuribus legatione quadam prospicere cupit, tum, si quis Pontificiis itidem fauens Plenipotentiarum munus ambit, et negotium cum damno ciuium protestantium conficit, dubium non est, quia cum proposito capitulationes euertere, et Reip. damnum et periculum parere voluerit.

Denique si quis argumenti nostri robur hac exceptione debilitari et infirmum reddi posse existimat, quod Plenipotentiarum ex sincero desiderio bene de Rep. merendi et quoniam se reliquis ad hoc negotium aptiorem esse sciuit, vltro se offerre potuerit, ille meminerit, nos non certitudinem fraudis sed suspicionem saltim et probabilitatem demonstrasse. Si enim nulla foret oppositi formido, si contrarium nullo modo obtinere posset, non probabilitas sed certitudo doli euicta esset. Vt taceam, perraro accidere, vt quis suae vtilitatis oblitus pro cociuium salute vltro se offerat magno oneri portando, suisque humeris vt imponatur tam sollicitate postulet.

§. 40.

Qui vero proprio Principis motu electus sibi munus hoc vltro posine mora imponi passus est, is, si negotium ex sententia Principis stulatus et non successit, hætenus a fraudis suspicionem liberari debet. Id enim obsequium præsumitur, quod ab eo obsequium Principi tus, num præstari debitum exegit. Nam ratio suae negotiatio- fraudis nis, quantum constat, non nisi mandatum Principis est, suspectus? cui se opponere ob pietatem erga patriam nec potuit nec voluit. Ex hac vero ratione conici haud potest propriam vtilitatem ipsum ad legationem suscipiendam perpulisse, et cum neglectu publicae salutis quaesitam esse. Igitur et suspicio, ipsum fraudalenter egisse, hætenus omni fundamento destituitur.

Diximus consulto, hætenus. Nempe si initium et finem negotiationis eius vnice consideres, nulla hinc fraudem præsumendi

E

mendi



mendi ratio desumi potest. Sed quoniam praeter ortum et euentum negotii ipsa expeditio cum omnibus circumstantiis spectari debet, haec forte ipsum fraudis suspectum reddit, qua de re plura mox sequentur.

§. 41.

Vltro postulatus et deprecatur, atque palam est, quod ipsum propter expeditionem deprecatus publicam priuatum commodum negligere oporteat, probabile est, officium, quod priuata utilitas ratio deprecationis fuerit, et, si postmodum quando saluti publicae per eum parum consultitur, hanc suae utilitati post-suspectus? habuerit. Namque causa, cur quis hoc munus auerteretur, aut ratio negotiationis, si cum sperata Reip. utilitate finiri non posset, principi redenda est, quam cum incommodis hinc consecuturis timet, aut officii grauitas, cui suas vires impares esse iudicat, aut itineris et negotii incommoditates, aut denique priuata utilitas est, quam promouere publico hoc officio impeditur. Primam causam quod attinet, ratio expeditionis reddenda adeo timeri nequit, quoniam ipsi facultas suo arbitrio vtendi conceditur, et hoc saltim in Reip. perniciem abuti prohibetur, cui officio quisque sine metu delinquendi satisfacere potest. Nec obstat inimicorum multitudo, qui honorem hunc ipsi inuidentes absentis famam laceraturi reducemque suspectum redditori sunt. Nam vt taceam, recte faciendo neminem timendum esse, is, qui inimicorum persecutiones timet, probe sibi cauebit, ne quicquam destinato consilio aduersus salutem publicam decernat. Ergo si quis vel maxime eam ob causam Plenipotentiarii munus deprecatus esset, ea tamen ratio praesumi vix potest, quando tristis negotii exitus est, et plus in detrimentum Reip. concessit, quam concedere debebat, quoniam hic omnes neruos intendet, vt voluntati Principis satisfaciatur. Accedit, quod ex hypothefi aliud quid adfit, vnde facilius intelligitur, cur deprecatus sit munus oblatum, et boni publici

blici rationem non habuerit. Grauitas officii et conscientia, ne sua culpa ciuitas aliquid detrimenti capiat, quidem ratio esse potest, se huic muneri subducendi, sed cum illius nulla adsint indicia, potius aliud quid praesto fit, quod magnam vim in animos hominum exercet, et eos ad fugam alicuius negotii commouere potuit, illa deprecationis ratio haud facile praesumi potest, et multo minus praesumi debet, quando in mala Reip. consensit, ad quae concedenda nulla necessitate coactus fuit, quoniam, qui conscientiae rationem habet, decreta sua neutiquam deproperabit, sed potius omnia, in quae consentit, cum bono publico, quod conseruare et promouere debet, diligenter et sollicitè ponderabit. Itineris et negotii incommoditates vt ratio deprecationis ideo praesumi nequit, quoniam Princeps ad grauisimum hoc officium non virum senio confectum, non laboris impatientem, sed eum, cuius vigilantiae et laboris multa specimina adsunt, postulabit. Itaque probabilius est, vltro postulatam officium hoc ideo deprecatum fuisse, ne necessum haberet, suae vtilitati derogare. Hic ergo, si, non obstante sua protestatione, ad munus hoc admouetur, et plus in damnum Reip. postmodum concessit, quam necessum erat respectu circumstantiarum, vtique praesumi debet, salutem publicam eam ob causam neglexisse, vt propriam vtilitatem, qua alias carere debuisset, compensaret.

Plures quidem rationes esse possunt, cur quis Plenipotentiarii munus deprecari possit, sed quando, ex hypothesi, aliqua adest, et reliquas adesse non constat, tum ea, quae adest, et ratio mouens actu fuisse praesumitur. Nam quando aliquid A certum effectum producere debet, necessum est, vt primo ipsum existat, vt secundo habeat vim producendi, vt tertio effectus non ab alia causa productus sit. Haec requisita omnia si adfuerunt, certum est, effectum ab hac causa productum esse; tertium si adfuisse non constat, reliquis tamen existentibus, A causa huius effectus probabiliter tantum praesumitur.

E 2

Et

Et quoniam gradus probabilitatis pendent a multitudine requiritorum ad existentiam rei necessariorum, etiam probabilius est, quod A. causa effectus fuerit, si de illo constat, quod habent vim producendi effectum, quod secundo etiam actu existat, quam quod B. C. D. causa fuerit, de quibus saltem nominis, quod habeant vim producendi, et ignoramus tamen, quod praesto fuerint, cum effectus existentiam suam nancisceretur. Ergo ex hypothesi, quod quis legatione suam utilitatem domi promouere impediatur, et impedimentum propriae utilitatis ratio officium aliquod deprecandi esse possit, ut nemo facile ambiget, probabilius est, propriae utilitatis curam deprecandi Plenipotentiarum munus rationem fuisse, quam aliud quoduis, de cuius existentia, cum Minister legationem recusaret, non constabat, quamuis alias ratio mouens esse possit. Qui vero ob priuatae utilitatem negotiorum in salutem publicam suscipere negat, ille, suscepto munere, etiam praesumi debet, magis priuatae quam publicae rationem habuisse. Quandoquidem mores eius deperditos esse, ipsumque suam plus quam Reip. utilitatem curare, ipsa eius deprecatio docet. Ex his vero simul constat, quem eligere Principem oporteat, et quomodo Ministro ratione reddituum debeat prospicere, ne sibi ipsi noceat.

§. 42.

Quando non suspensus?

Nulla vero in eum fraudis cadit suspicio, qui oblatum Plenipotentiarum munus deprecatur, cum suam utilitatem propter hanc expeditionem negligere necessum non habeat, sed potius hac functione multum lucrari possit. Ille enim obsequium recusat, aut ne rebus infeliciter gestis ad redendam rationem in ius vocetur, maxime, quando inimicorum calumnias et machinationes timere debet, aut quoniam ob negotii grauitatem suis viribus tanto operi vix paribus diffidit. Si prius ratio mouens protestationis fuit, tantum abest, ut negotium hoc perfide et dolose confecturus sit, ut potius, ne quid aduersus ipsam habeant inimici, operam daturus sit; Sin vero posterius, de eo nulla veri specie fraus et dolus praesumi poterit, quia omnia iuxta conscientiam ponderat, et, ut bono publico consulatur, honorem sibi oblatum alii conferri facile pati voluit. Ergo is ab omni fraudis suspicione liberari utique debet.

§. 34.

§. 43.

Praeter haec, vt eo tutius nobis iudicandi fiat *Legato-*
copia, nosse oportet, quibus quisque deditus sit *propensio-*
nibus. Nam quod vnquam vere cecinit poeta, trahit oportet
 sua quemque voluptas, quotidiana experientia com- *propensio-*
 probat. Qui ad mortalium actiones attendit, eas *nzs.*
 omnes ad certum aliquod principium reuocari posse,
 facile animaduertet. Singulis hinc pro temperamen-
 torum, vt loqui solent, diuersitate suos statuunt acti-
 onum fines. Melancholicus multum patitura metu
 habendique cupidine, cholericus gloriam et honorem
 sectatur, et sanguineus omnis generis voluptates a-
 mat, vt sunt epulationes, comotationes, saltatio-
 nes, ludi, sexus sequior et id genus alia. Qui haec
 cuiusque actiones et circumstantias comperit, num
 delicti corpus adsit, nec ne, haud difficulter eruet.

§. 44.

Si Plenipotentarius variis comminationibus, nisi in postulata Quando
consensus esset, perterrefactus est, aut si aliud periculum, v. c. quis obse-
proelium, cuius euentus dubius erat, imminuit, cum se ad bo- curritatem
stem conserret, deque pacis conditionibus cum illo conueniret, suam bo-
probabile est, propriam securitatem ipsum ad tractatus istos per- num publ.
pulisse, qui saluti publicae nocent. Haec vero prrobabilitas exi- neglexe-
gua aut plane nulla est, si Plenipotentarius alio tempore belli vir- rit?
ritum, animum intrepidum, et periculi contemptum demonstra-
 uit. Adfertur hoc vix alia demonstratione indiget.
 Nam cum nemo quicquam, quodcumque sit, multo-
 que minus tam graue negotium sine ratione suscipere
 possit, vnde intelligatur cur id potius fecerit, quam
 omiserit, manifestum est, si quid praesto est, quod
 animum ad eiusmodi actionem commouere potuit,
 id quoque animum ad agendum perpulisse merito prae-
 sumatur, donec aliam rationem adfuisse appareat.
 Quodsi vero subiectum ita comparatum est, vt istis
 circumstantiis, quae extiterunt, et alias magnum



pondus in actionibus humanis habent, non facile commoueat, eas sine fundamento pro ratione determinante haberemus. Ergo his positis circumstantiis cum adhibita cautela datur iudicandi facultas, quando quis suam securitatem et conseruationem salutis publicae praetulisse praesumi possit, et quando haec suspicio nulli superfructa sit fundamento.

§. 45.

Quando ob diuitias? *Eae porro, Plenipotentiarium, cuius expeditio non respondet votis et expectationi Reip. multis onustum diuitiarum redire, tum non video, quomodo ille fraudis suspicionem euitare possit. His enim diuitiis aut a Principe, quocum agendum ipsi fuit, auctus est, aut a suo Principe missas sibi retinuit atque reduxit. Si prius, id certe eo fine factum est, ut in Principis, ad quem missus erat, postulata consentiret, quae sine detrimento Principis, cuius nomine adest Plenipotentiarium, concedi nequeunt. Itaque quando et ea concessa sunt, nullum dubium est, quin ob priuatam utilitatem publicam neglexerit. Sin vero diuitias a Principe suo sibi missas domum reducit, procul dubio eas retinuit, quibus Principis, ad quem missus erat, ministerium sibi obligare debebat, ut res suas eo feliciter agere potuisset. Nam Plenipotentiarium destinati redditus ipsius magnificentiae, in qua versari debet, perraro sufficiunt, tantumque abest, ut his quaedam subtrahi, inque futurum ministri commodum conuerti possint. Sique forte nimia auaritia correptus sordide vixerit, atque catenus personam Principis, quam repraesentare debebat, ob priuatam utilitatem neglexerit, iam vel eam ob causam omnem fidem perdidit, et merito praesumitur, suae magis quam publicae utilitatis rationem habuisse.*

§. 46.

Quando ob honorem? *Accidit haud raro, ut Plenipotentiarium in aula Principis, ad quem missus est, aut in castris hostium honore solito maiore exi-*

excipiatur, fruaturque, quamdiu ibidem haeret. Ergo nunc disquiritur, quid de eo sentiendum, quando negotii infelix est euentus. Equidem non dubito, quin Princeps vel eius ministri, qui tanto honore ministrum alterius Principis maectant, hoc medio vtantur, vt fines suos consequantur, eaque vt sibi concedantur efficiant, in quae Plenipotentiarium missus sine sui Principis damno consentire nequit; At vero quaeritur, num hoc medium finibus consequendis sufficiat, et Plenipotentiarium ad ea concedenda commouere poterit. Qui diuitiis et voluptatibus vnice delectatur, honorem parui aestimabit, nec facile Princeps, qui Plenipotentiarium ad se missi praecipuam passionem ferutatus est et nouit, eum in suas partes trahere hoc medio tentabit. Itaque probabile est, ministrum, qui extraordinario honore distinguitur, et honore capi posse. Quamuis vero hic honos, qui vanus est, et veri tantum species, virum veram gloriam sectari solitum haud facile in transuersum agat, vt delicto quodam famae suae maculam inurat sempiternam; tamen, si positis his circumstantiis res male succedunt, vix ac ne vix quidem probabile est, quod Plenipotentiarium vir huius notae fuerit, neque se splendore hoc et magnificentia excoecari passus sit. Namque si iam eo peruentum est, vt Resp. cuius nomine adest Plenipotentiarium, in quaedam incommoda necessario consentire debeat, quid opus est, vt hostis sufficienti eam cogendi potentia instructus eius Plenipotentiarium tam eximio honore afficiat, quo tamen non nisi facilem in sua postulata consensum impetrare conuitur. Caeterum quando iam ex aliis actionibus constat, Plenipotentiarium externis ceremoniis vanisque honorum signis facile decipi, maior suspicandi ratio est, quod honorem hunc, sibi exhibitum obligationi salutem publicam promouendi praetulerit.

Quando ob
volupta-
tem.

Denique qui voluptatibus nimis deditus est minister, non tam fraudis quam culpae suspectus est: quippe huius generis homines, licet non sint malitiosi, tamen nec serio et debita diligentia res suas agere solent. Magna tamen et fraudis est suspicio, quando nimis familiariter publice quandam aulica usus eiusdemque amore plane correptus fuit. Quod enim auro argentoque frustra tentatum est, eiusmodi mulierculae opera effectum esse nouimus. Testantur id multis euidentiis exemplis sacri profanique scriptores, et ipsa res quoque docet. Hinc enim affectus uti plerumque vehementius quocumque alio exaequare solet, ita et facile harum Sirenum blanditiis adeo commouetur, ut quae imo pectore reponenda erant status arcana, eructet atque protrudat. Nec quicquam ferme est, quod non astutia eiusmodi personae impetrari possit ab amore correpto. Sed quoniam et simulatus esse potest amor, et Legati harum personarum ministerio felici cum successu uti saepe possunt, cadit ista suspicio, quando Plenipotentiarius sexum sequiorem parui aestimare solet.

T A N T V M.





Jena, Diss; 7740


ULB Halle 3
004 548 477


f
sb.

1018







B.I.G.

Farbkarte #13

LIGATIONE
TENTIARIII
EM ET REMPUBLICAM

~~22~~
28

der Pflicht 1740, 23^b
stigter gegen seinen Fürsten
ne Wesen beobachten
muß.

ONSENSV
LOSOPHORVM ORDINIS
IAE IENENSIS
ATE PHILOSOPHIAM
DOCENDI
IDCCXXX. D. V. MAII
SPVTAVIT

5.

A E S E S
NESTVS SCHVBERT
T ORDINIS PHILOSOPHICI IN ACADE-
NSI ASSESSOR ORDINARIVS
PONDENTE
IACOBO AYCK
IA - BORVSSO
ET LL. CVLTOR.
TERIS SCHILLIANIS.

